

S. Achatium et S. Mauritium; milites, S. Sebastianum, S. Martinum, etc. Quare dicere hic possumus, quod S. August. lib. VIII. confess. cap. XI. ait: *Ibi tot pueri et puellæ, ibi juvenus multa et omnis ætas et graves viduæ et anus. Tu non poteris, quod isti et istæ.*

Rogemus itaque Deum, ut quemadmodum orat apostolus ad Ephes. I. *Det nobis illuminatos oculos cordis nostri ut sciamus, quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divinæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis.*

CONCIO VIII.

IMMUNDI HOMINES, QUI CÆLO EXCLUDUNTUR.

I. Avari. — II. Adulatores. — III. Adulteri. — IV. Iracundi. — V. Inimicitiam gerentes. — VI. Usurarii. — VII. Maledici. — VIII. Venefici. — IX. Fures. — X. Ingrati. — XI. Dolosi. — XII. Mendaces. — I. Ambitiosi. — II. Rigidi officiales. — III. Pigri. — IV. Garruli. — V. Comptali. — VI. Improbi parentes et liberi. — VII. — Crudeles. — VIII. Pauperum oppressores. — IX. Falsi fratres. — X. Invidi. — XI. Jactabundi. — XII. Justitiæ corruptores. — XIII. Hæretici. — XIV. Tenebriones et mundi sapientes. — XV. Ebriosi et gulosi. — XVI. Contumaces et increduli. — XVII. Hypocritæ. — XVIII. Epicurei. — XIX. Luxuriosi. — XX. Parasiti.

THEMA.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.
Matth. V.

Forsitan quis hodiernam audiens epistolam cogitabit secum ipse: Heu quantus electorum numerus recensetur hic a Joanne. Etenim et Judæis solis numerantur centum quadraginta quatuor millia. Ex gentibus vero tantus numerus ut computari non potuerit: *Post hæc vidi turbam magnam, inquit, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, stantes ante thronum.* Hæc ergo cum ita sint, cur nos dubitabimus, quin et ipsi simus futuri in magno illo humero? Deponemus ergo mecum et securi posthac degamus. Forsitan, inquam, aliquis hoc secum cogitabit; sed an satis caute. Bene utique speramus de nostrum omnium salute: sed interim juste metuimus, de plurimorum rejectione in severo illo examine. Idem enim Joannes qui hunc electorum numerum vidit pene innumerabilem, idem, inquam, scribit in capite penult. de cælesti civitate: Non intrabit in eam aliquod coquinatum aut abominationem faciens. Et capite sequenti ad illum ipsemet Christus: *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni,*

ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem. Foris autem canes et venefici et impudici et homicidæ et idolis servientes et omnis qui amat et facit mendacium: et in hod. evangelio soli beati mundo corde dicuntur Deum visuri. Testatur idem post magistrum S. Paulus, I. Cor. VI. dicens: *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, etc.* Hæc sane sunt, quæ nos terrent et merito timere faciunt. Quid enim si coquinati simus et necdum in sanguine Agni loti? Annon merito cum Domini discipulis nos in nos interrogamus: *Numquid ego sum talis?* Itaque ad cautelam nostram demonstrabo digitis; si non omnino omnes plebsque saltem coquinatos, a civitate Dei proscriptos, idque ex ss. litteris.

Levitici XI. designavit Dominus Moysi et per ipsum Israelitis quænam animalia censi debent munda adeoque comestioni apta: quænam item immunda, de qua re olim legatus Ptolomæi Philadelphi cum peteret septuaginta duos interpretes sibi mitti, qui Scripturam s. ex Hebræo in Græcum verterent, ex Eleazaro pontifice ut testatur ipse, tractatu de septuaginta interpret. quæsit cur Moyses vetuisset quædam animalia comedi, vel sacrificari, quibus tamen aliæ gentes uterentur, respondit Eleazarus, hæc præcepta esse symbolica et significare a quibus vitiis cavendum. Quam eandem causam ss. patres passim etiam assignant, etsi aliæ plures sunt. Itaque immunda animalia vitiosos denotant homines, qui cælo excluduntur. Primo, animalia terrestria generatim excluduntur ab esu, et immunda censentur, quæ nec ruminant nec unguam dividunt. Ruminant autem moraliter, secundum S. Gregorium, in cap. VII. Cant. qui verbum Dei, quod aure perceperunt in ventrem memoriæ recondunt, hocque sæpius quasi ad os cordis revocantes, frequenti contemplatione comminunt, pedem vero dividunt, qui in actione bonum a malo secerunt. Utrumque breviter complexus est Dominus, cum ait: *Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.* Hoc qui non fecit immundus censetur apud Deum et mensa cælesti indignus. Tales autem sunt et nominantur a Deo octo.

I. Camelus gibbosus et tortuosus. Et hic quos alios representat nisi quos dixit Dominus, Matth. XIX. divites avaros, ad cæli ingressum æque ineptos atque est camelus ad ingressum per foramen acus? Impedit enim divites, pondus divitiarum, quod dorsum illorum gravat, ac nisi ab eis tollatur, ingredi per arctam cæli portam non patitur: *Sicut cameli,* inquit S. Ambros. serm. IV. « Animal quod est tortuosum atque deforme, perversitas ipse corporis, per angustissimam acus caver-

nam pertransire non patitur: ita et divites oneratos avaritia, et cupiditate fedatos ipsa vitæ deformitas per arctam viam regni minime introire permittit. » Non sentit quidem camelus onus sui gibbi, sed cum ingredi per humilem portam debet, experitur impedimentum corpori suo affixum: ita et avarus non sentit onus divitiarum, dum in vita degit: sed cum ingredi oportet per humilem illam januam, tunc experietur quantum retardetur, et quam difficile sit id deponere. De his apostolus, I. Cor. VI. *Neque avari regnum Dei possidebunt.*

II. Chamalæon, animal figura et magnitudine lacertæ, colorem sæpe toto corpore mutans pro varietate rerum coloratarum, quæ ei obijciuntur, præter album et rubrum, unde adulatores, versipelles designat et Proteos, qui pro tempore et potentiorum qualitate sese vertunt in omnem habitum, omnibus blandiuntur, omnibus ad placitum loquuntur: candorem tantum sinceritatis non induunt, nec ruborem, quia nullus illis pudor inest, qualis fuit Absalon, antequam invasit regnum, omnibus blandiens, et jus dicens, et osculans ad se accedentes, II. Reg. XV. sed mox ubi principatum arripuit, crudelis factus patrem ipsum persecutus est. Eandem chamalæontis mutabilitatem induisse Julianum apostatam scribit S. Gregorius Nazianz. Tales etiam sunt politici. Item ut chamalæon ex aere dicitur vivere, ita isti favore suorum dominorum, quibus adulantur, sed immundi sunt. Dominus, Ezech. XIII. adulatoribus: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito mansus.*

III. Chærogryllus animal magnitudine cuniculi de cavernis petrarum procedens vastans et depascens alienos agros, ex Græco quasi porcellus rupium, adulteros, qui septa matrimonii transilientes alienam depascunt segetem, alterius conjugem violant, representat. Et hi a mensa cæli exclusi sunt, quia scriptum est, Deut. XVII. *Maledictus, qui dormit cum uxore proximi sui: et, I. Cor. VI. Neque adulteri regnum Dei possidebunt.*

IV. Crocodilus, animal iracundum, sanguinolentum, quod negotiatoribus insidiatur, ac furiosum, quod cum prædæ spe frustratur, in seipsum morsum convertit, præ rabie, Pier. XXIX. hierogl. Itaque biliosos representat et vindictæ cupidos, homicidas item et latrones: qui si aliis nocere nequeunt, quibus cupiunt, in seipsos rabiem convertunt. Et isti ergo immundi sunt, quia inter opera carnis ponit apostolus etiam iras, rixas, dissensiones, homicidia, ad Gal. V. qualia: *Qui agunt, regnum Dei non consequentur, inquit.*

V. Lacerta, quæ licet exiguum reptile, inimicis-

simum tamen est cochleis, teste Plinio, lib. VIII. c. XXXIX. proinde illorum typus est, qui inimicitias in corde gerunt: quales etiam a cælo exulabunt velut immunda animalia, quia inter opera carnis e cælo proscripita ponit apostolus, ubi supra, etiam inimicitias et dissensiones.

VI. Lepus, sed quid commeruit iste, gratissimus alioqui cibus? Nimirum lepus simul parit et simul alium foetum alit, et rursus superfœtat et ita usurarium designat. Hic enim cum dat mutuum, statim petit fœnus: illudque tollens rursus pro fœnore mutuatur, quod pro fœnore accepit, atque ita alit fœnus et simul aliud parit, et rursus superfœtat. Hæc enim igitur mundi animalia sunt et cælo indigna. Negat sane propheta cum interrogans: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Respondet: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.*

VII. Mus, qui semper aliquid rodit et inquinat, Pier. lib. XIII. hierogl. Hoc autem faciunt detractores et maledici qui nunquam fere interquiescunt, qui famam proximi rodunt et conspurcant. Sunt igitur immundi nec pertinent ad cælum, quia apostolo teste, ad Rom. I. *Detractores Deo sunt odibiles: et I. Cor. VI. Neque maledici regnum Dei possidebunt.*

VIII. Mustela, quia virulento suo statu inficit pecora, magos et veneficos denotat, qui suis incantationibus et præstigiis nocent vel decipiunt, quare ut illa a Judæorum mensa, ita isti a mensa Dei merito quam longissime exulant, siquidem Joannes, Apocal. ult. de cælesti templo loquens, ait: *Foris canes et venefici: et apostolus ad Gal. V. eadem veneficia a regno Dei excludit.*

IX. Mygale, ex mure et mustela composita, quasi mus et mustela utriusque naturam participat, ab illo edacitatem, ab ista furacitatem. Unde fures notat qui ad ingluviem satiandam ex rapto vivunt. Tales etiam infideles servi sunt, qui e domibus dominorum clanculum furantur: *Fures igitur et isti, quia: Neque fures regnum Dei possidebunt,* ait Paulus, I. Cor. VI.

X. Sus ingratum animal, quia tametsi ei glandes de arboribus decutias, nunquam attollit oculos aut spectat undenam proveniant, sed escæ tantum intendit: præterea ubi comederit, mensam quoque evertit. Tales sunt ingrati: *Qui quasi porci,* inquit Chrys. ho. VIII. in Matth. *cum jam comederint, eversa calicibus mensa temulenti consurgunt, cum agere gratias debeant.* Tales et ingrati pauperes, qui de benefactoribus suis male loquuntur, nec orant pro illis. Et hos igitur cæli dignos judicem? Minime gentium; quia Sapiens ait: *Ingrati spes tamquam hibernulis glacies tabescet,* Sap. XVI.

XI. Stellio animal non dissimile lacertæ, stellas in dorso gerens, sed intus venenum abdens, et homini fraudolentissime invidens. Cutem enim, quam quotannis exuit, protinus devorat, ut eripiat homini, præsentissimum comitialis morbi remedium. Unde crimen stellionatus vocatur crimen doli et imposturæ, Plin. lib. XXX. cap. X. Quotquot igitur tales sunt, qui aliud ore, aliud corde gerunt, et qui sua potius aut perire sinunt, quam egentibus dari, cœnam Christi non gustabunt, quia scriptum est, Malach. I. *Maledictus dolosus*: et a Davide dicitur habiturus in tabernaculo Dei: *Qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum.*

XII. Talpa divinæ lucis impatiens et inimica, ad eam enim protracta mox iterum latibula in terra quærit; ac si foris retineatur, cito moritur, Pier. l. XIII. Tales sunt inimici veritatis et concionum, quia lucem veritatis sibi in iis ostensam sustinere nequeunt. Cæci enim sunt ut talpa et cœcitatem suam amant: *Omnis enim, qui male agit, odit lucem*, ait Dominus, *et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*, Joan. III. Verum sicut ex aliquorum sententia, morientis talpæ oculi, qui viventi sub pellicula latebant, rupto præ angustia velo aperiuntur, et videre incipiunt: ita illorum quoque oculi aliquando aperiuntur, in mortis nimirum articulo, sed magno eorum dolore et exiguo fructu. Idcirco indigni sunt qui cœlesti lumen videant, quia: *Ignorans ignorabitur*, ait apostolus, I. Cor. XIV.

Animalia volatilia pro immundis declarantur et recensentur viginti.

I. Aquila, quoniam in alto prædatur, volatu superat omnes aves, et in alto ponit nidum suum, ideo ambitiosos refert, qui semper ad excelsa tollunt oculos, honoribus et dignitatibus inhiant, omnesque excellere cupiunt. Sed num ideo hi ad cœlum evolabunt? Non sane, quia dixit Dominus: *Qui se exultat humiliabitur*, Matth. XXIII.

II. Accipiter, quia captus docetur ab aucupibus, capere aves altas, et ita inservire hominibus ad prædam; designat autem famulos et officiales ad dominorum nutum pauperes expilantes. Ita docuit Nero imp. suos, qui nunquam cuiquam officium delegavit, nisi hæc adjiceret: *Scis quibus mihi est opus, et hoc agamus, ne quis quid habeat*: sic Vespasianus rapacissimos quosque promovebat, quos tamen spoliis repletos, postea condemnabat, et velut humentes spongas exprimebat. Eiusmodi igitur avibus ait apostolus, I. Cor. VI. *Neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

III. Bubo, qui interdiu in sepulcris et ruinis delitescit, avis ignavissima, de nocte vero in tem-

pla penetrat, ut oleum ebibat, quo lucernæ aluntur, teste Barth. Angelico, l. XII. c. V. designat ergo pigros, quales sunt ii clerici, qui interdiu in tabernis latent, et symposiis vocant, nec facile ad templum veniunt, nisi nummorum gratia, iidemque coram Deo immundi sunt, qui dixit per prophetam: *Maledictus qui facit opus Dei negligenter*, Jer. XLI.

IV. Charadriion, avis garrula, quæ noctis est amica et venatur mures, ideoque garrulos et mendaces denotat, qui mendacia venantur, et mendaciis pascuntur, veritatis lucem odio habentes. Quorum immunditiam cœlo indignam passim Scriptura clamat: *Foris canes*, inquit Joannes, Apoc. ult. *et omnis qui facit et amat mendaciam.*

V. Cynus, qui pennas habet candidissimas et nitidissimas alasque suas superbe fert elatas, cutem tamen et carnem nigram, et digestu difficilem habet: unde bene depingit illos, qui in vestibus superbiunt et pompose incedunt, extra undique adornati, in cute tamen et conscientia nigerrimi, et sordibus repleti sunt: unde eorum animæ Deo sordent et digeri ab eo, hoc est, in ipsum mutari nequeunt; proinde tantum abest, ut ad mensam Dei in cœlo apponendi sint, ut potius audituri sint: *Væ vobis quia similes sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitiâ*, Matth. XXIII.

VI. Corvus, qui erga proles suas impius est, dum desertas et in nido relictas fami exponit neque educat: *Odit prolem suam corvus*, ait S. Chrysost. serm. in Heliam, *et naturam non educat.* Quare cum senuerint, ipsi vicissim a pullis suis, quasi in pœnam neglectæ educationis, expelluntur et devorantur. Unde ortum id proverbium: *Mali corvi malum ovum*, Ælian. lib. II. cap. IV. Itaque typus est tam malorum parentum, qui liberos suos negligunt nec ad virtutem educant: quam malorum liberorum, qui senio confectos parentes inique tractant, et vel fame affligunt, vel mortem eorum optant. De utrisque bene dicitur: *Mali corvi malum ovum.* Et jubebit aliquando Deus tales parentes venundari cum filiis et vastabit gladius: *Lactantem cum homine sene*, Deut. XXXII.

VII. Gryphs, fortissimus prædatrix avium, qui non minuta rapit sed grandia; fertur enim equitem armatum cum equo posse rapere; et in sublime vehere eosque discernere, ut gl. in c. XIV. Deut. habet; Abulensis, in cap. I. Levit. et alii. Tantarum etiam virium est, ut quod semel apprehendit pedibus eximi sibi non patiat. Quos igitur nisi principes designat crudeles et avaros, qui potentes etiam opprimunt et integras

nationes affligunt ac vastant: quæque semel comprehenderunt seu per fas seu per nefas, nunquam amplius dimittunt. Merito itaque tales Deo displicent, velut immunditia pleni: illis enim dicitur: *Væ qui prædatis: nonne et prædaberis?* Isai. XXXIII.

VIII. Haliætus, qui marina est aquila, et ex alto in aquas ruit, easque pectore dividens, pisces inde rapit.

Qui vero istud faciunt nisi multi ex iudicibus et tutoribus, qui pauperes suos subditos et clientes, viduas et pupillos, in amaris tribulationibus, aquis degentes opprimunt, exhauriunt, deprædantur. Item Domini qui servos et operarios defraudant sua mercede. Istine audient illud: *Euge serve bone et fidelis?* Minime gentium: sed potius illis dicit Dominus: *Væ vobis qui comeditis domos viduarum*, Matth. XXIII.

IX. Herodio, seu ciconia, juxta Suidam et Hebræos passim, quæ nobis amica et familiaris est, super tecta nostra habitans, sed parum tamen utilis et constans. Occinit enim nobis nescio quid informe et non hiemat nobiscum: sed ubi nostro usa est domicilio, adventante frigore sedem alibi figit. Sic faciunt ficti amici et falsi fratres, qui in prosperitate tantum et quamdiu beneficia percipiunt familiares sese exhibent, et benefactorum auribus ad placitum loquuntur: adveniente vero adversitate recedunt, et meliores heros quærunt.

X. Ibis, teste Æliano, tam invida est avis, ut si ex Ægypto violenter evehatur, ipsa se fame necet, ne aliis præda fiat. Hoc autem faciunt invidi, qui dum aliis invident, seipsum interim cruciant, et diuturna tabe necant, siquidem: *Parvulum occidunt invidia*, Job, cap. V. Atqui nonne apostolus Paulus inter alia peccata excludit a regno cœlorum, æmulationes et invidiam? ad Gal. V.

XI. Larus, qui dum parturit valde clamat; unde proverbium: *Larus parturit*, partus tam non nisi plumosos et paucæ carnis excludit, Pier. lib. XXIII. hierogl. Recte itaque jactabundos notat, et qui magna promittunt, parum vero præstant. Sed quid de his propheta? *Disperdit Dominus*, inquit, *universa labia dolosa et linguam magniloquam*, Psalm. XI.

XII. Mergulus, significat potentes illos qui numeribus pervertunt superiores et magistratum, vel favore et amicitia, quia eis juncti sunt, ita ut eorum delicta non castigentur, et oppressi ab eorum injuriis non vindicentur: ut enim mergulus, cum auceps aut haliætus ei insidiatur, sese in undas abdit, et insidias declinat: sic potentes isti, cum imminet eis periculum, ne in iudicio causa cadant, vel ob delicta puniantur, ad opes

se suas recipiunt, vel amicitiam: et sub hoc asylo latent incolumes. Sed protrahentur aliquando in publicum, et immunditia illorum ostendetur mundo, cum a venatore deprehendantur, quem non poterunt subterfugere.

XIII. Milvus, qui pullis gallinarum et domesticis tantum insidiatur avibus, non silvestribus; quia nimirum ignavior est, teste Angelico, l. XII. c. XXVI. Hæreticos ergo significat, qui catholicis tantum, quos Christus sub alas Ecclesiæ matris eorum congregavit pervertendis intendunt, idque molli quodam volatu, qualem etiam milvus habet, seu blanditiis quibusdam; silvestribus vero avibus, id est, gentilibus convertendis, non vacant, nec aggredi eos audent, timentes pelli suæ ne ad instar martyrum nostrorum ab illis deplumentur. Sed quid ad istos Dominus: *Væ vobis qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*, Matthæi XXIII.

XIV. Noctua quæ interdiu cœcutit, noctu bene videt, filiosque hujus sæculi denotat, qui ut Jeremias, cap. IV. ait: *Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Ad temporalia paranda acutum cernunt, ad spiritualia vere et salutem suam in propriam conscientiam, in proprios defectus cæci sunt aut lippi, unde non obscure filii tenebrarum a Domino appellantur et ab eo filiis lucis opponuntur. « Quomodo noctua, ait S. Basilius, hom. VIII. in hexam. aspectu noctu quidem valet: sole autem illucescente non mediocriter confusatur et hebescit: sic sæcularium hominum et hujus mundi sapientum, mens acutissima quidem ad varias res perspicendas esse videtur; hebetissima vero caligineque referta ad ipsam lucem veram percipiendam evasit. » Hi ergo tenebriones quomodo non in tenebras exteriores ibunt?

XV. Onocrotalus guttur amplum et strumosum habet, quod cibus infarcit: item ventriculos reconditos, Plin. lib. X. cap. XLVII. postea cibos revomit, unde Hebr. vocatur *kaa*, a vomitu, præterea rostrum in aquam mergens rudis instar asini, unde Græcis *onocrotalus*, id est, asini crepitaculum dicitur. Tales autem sunt ebriosi et gulæ dediti, qui quasi plures habeant ventriculos, nimium se replent et inebriati rudunt velut asini, et clamoribus cœlum implent, vomunt, etc. de quibus ait apostolus: *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt*, I. Cor. VI. et Gal. V. ebrietates et commessiones recenset inter opera carnis.

XVI. Porphyrio, cristam in capite habet, omnem cibum aqua subinde tengit, deinde pede velut manu ad rostrum affert; significat contumaces et incredulos, superbiæ cristam in capite gerentes, qui

nihil nisi tinctum aqua propriae voluntatis et iudicii suscipiunt faciendum et credendum.

XVII. Struthio, qui herodio similis est pennis, sed non volatu; nam ob corporis gravedinem a terra se non elevat, ut patet Job XXXIX. Unde notat hypocritas, qui religionis speciem prae se ferunt, carnales interim sunt et terrenis rebus affixi manent. Hinc Greg. VII. moral. c. ait: « Et struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet: sic hypocritas cunctis intuitibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere viam sanctitatis ignorat. » His autem quam multa va comminatur Dominus, Matth. XXIII.

XVIII. Vespertilio significat lucifugas illos, qui cum alii ad somnum concedunt, ipsi primum cœnas instruunt, et noctes crapula et voluptatibus transigunt; mane vero cum alii homines surgunt, ipsi cubitum eunt, noctem vertentes in diem et diem in noctem; quod fecit olim Heliogabalus, spurcissimus imperator, qui de nocte primum salutari volebat, et negotia expediebat, reliquum tempus somno et deliciis dedit, apud Ælium Lamp. Quem multi nunc imitantur nobiles: quos quidam magnus vir vocabat principes tenebrarum, iidem etiam cum ad templum veniunt, obscuros occupant angulos, quasi timeant ibi videri, adinstar vespertilionum scilicet qui interdum intra templorum valvas et tegulas sese abdunt.

XIX. Upupa, licet coronata in capite, de stercore nidificat et vivit, ac proinde foetet semper: ita luxuriosi, licet coronam imaginis divinae in se gerunt, in sordibus se volutant, proinde merito velut sordidi ac foetentes vitantur et odio habentur: unde et Joannes ipse Apocal. ult. *Foris canes et impudici*, ait.

XX. Vultur castra sequitur et exercitus, sed cadaverum gratia, et quæ longissime olfacit, et presagit eadem antequam fiat. Similes ei sunt parasi, qui mensæ tantum gratia assident amicis et pingua prandia ac symposia a longe subodorantur, similiter et illi, qui amicos diligunt et honorant, sed hereditatis gratia. Unde Seneca, ep. XCVI. *Qui, inquit, amico xegro assidet hereditatis causa, vultur est, cadaver expectat.*

Denique, ex natatilibus omnia illa immunda cœnari voluit Deus, quæ pinnulas et squamas non habent. Moraliter squamæ gravitatem morum et firmitatem bonæ conversationis in medio sæculi significant, pinnule autem sensus superna cogitantes: pisces namque, qui pinnulas habent, saltus dare super aquas solent, ait Greg. lib. V. moral. c. VIII. squamas ergo habet, qui rigore virtutis muniti, sæcularis occupationis appetitum non admittunt: pinnulas vero habent, qui subinde secretum contemplationis petunt, quique

mentis saltibus levare se super se et conscendere ad superna norunt, ut exponit S. Gregor. lib. V. cap. VI. Rursum squamæ asperos pœnitentiæ fructus significant. Qui sine his sunt, immundi reputantur, leves enim, lubrici et delicati nimium sunt ad vigiliis, ad jejunia, ad orandum, etc. De his ait Dominus: *Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt*, quasi dicat: Non in domo Dei.

Postquam ergo nunc vidimus, quæ sint immunda animalia Dei mensa exclusa: adnitemur nobis nunc est totis viribus, ut cum his immunditiis nihil negotii habeamus. Si enim talia animalia vetuit Deus Judæis, non modo edere, sed etiam contingere, lavare, vasa vel confringere, quæ eorum contactu fuerint contaminata: quanto magis vitanda sunt omnia vitia, quæ hominem cœlo extorrem reddunt? Hoc est quod tam serio monuit apostolus, postquam opera carnis recensuit ad Gal. V. *Prædico vobis*, inquit, *sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

Sed quid? Num omnes illos condemnabimus, qui aliquando immundi fuerint? Non sane, sed est expiationi locus, quemadmodum et in veteri lege. Lavetur ergo per pœnitentiam, qui tale quid unquam fuit aut tetigit. Multa millia sanctorum in cœlo sunt, qui aliquando immundi erant: sed loti sunt, sed expiati sunt. Sequamur ergo pœnitentes, si secuti sumus errantes, ut assequamur glorificatos: *Beati enim*, inquit Christus, Apoc. ult. *qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem.* Quod nobis ipse concedat.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. Cur in montem ascendit Christus? — II. Qui peres spiritu? — III. Cur diversa prœmia? — IV. Quinam vires, lugentes, etc.?

THEMA.

Aperiens os suum docebat eos. Matth. V.

Merito sane instituit Ecclesia festum hodiernum ad honorem omnium sanctorum. Primum quidem, quia multi sancti peculiariter non coluntur, nec vero possunt singuli singulis festis coli, cum eorum tanta sit turba, quæ dinumerari nequeat, ut in epistola hodierna dicitur. Eandem ob causam Romani olim dedicarunt templum Pantheon, deorum matri Cybele et omnibus diis suis, quia cum innumeros haberent, omnes et singulos colere non possint. Quod templum Bonifac. IV. papa

aPhoca imp. impetratum Deiparæ et ss. martyribus dedicavit. Postea Gregor. IV. papa ad honorem omnium sanctorum consecravit. Secundo, ut ita omnes sanctos simul invocaremus et patronos nostros constitueremus, adeoque Dei multiplicatam nobis suæ propitiationis indulgentiam multiplicatis intercessoribus largiretur quemadmodum in oratione hodierna canit Ecclesia. Tertio, ut hoc die compensaremus, quod in aliorum festorum celebratione negleximus.

Denique, ut hujus solemnitatis occasione incitarem omnes ad cœlestis patriæ amorem, et desiderium beatæ illius societatis, in qua nostros credimus esse parentes, fratres et sorores. Ad cuius igitur festivitatis honorem expendamus hodiernum evangelium.

I. Cur ascendit Dominus in montem, facturus sermonem hodiernum? Resp. primo, ad litteram, ut ex edito loco facilius et utilius doceret turbam circumstantem. Secundo, quia majora et sublimiora christiana præcepta traditurus erat, quam olim tradita essent Judæis, ut docet S. Aug. I. I. de serm. Domini in monte; unde hic populum admisit ad se in montem, ibi in monte Sinai exclusit, docens interim beatitudinem neminem attingere posse, qui non fuerit a rebus humanis et valle secularis vitæ abstractus, et desiderio perfectionis elevatus: unde S. Chrysost. *Docet*, inquit, *a tumultibus discedere.* Tertio, ut ostenderet, quod in altitudine virtutum consistere debet: *Qui docet justitiam Dei*, inquit auctor imperfecti. Similiter Sanctus Bern. serm. I. de omnibus sanctis. Quarto, ut ostenderet se novæ legis latorem. Lex enim vetus in monte data et promulgata est: lex nova similiter; ceterum primo, ibi fulgura micabant, tonitrua audiebantur, mons fumigabat, et omnia terrore plena errant, nullusque ad montem proprius accedere audebat, quia lex illa timoris et severitatis erat: hic non item, quia lex nova lex amoris et gratiæ est.

Secundo, hic sedit ad docendum primo, propter dignitatem magisterii, ut ait S. August. secundum S. Hier. in Matth. V. ad indicandum quod se contraxerit incarnatione, et ad homines docendos dimiserit. « Non enim intelligere poterant in sua majestate fulgentem, ait S. Bern. serm. I. de omnibus ss. Sedit, ut ad eum, inquit, quem nec ipsi quidem angeli stantem attingere poterant, etiam Publicani et peccatores accedant, etc. » In monte Sinai populus majestatem loquentis Dei non poterat sustinere; unde dicebat: *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*; sed hic patientissime et libentissime audiebat. Tertio, ibi præcepta tantum promulgavit, hic a præmiis in-

choavit legem suam, nos ad eam servandam suaviter alliciens. Sed cur dicitur: *Aperiens os suum docebat eos*? Resp. primo, sensum esse, quod loquendi initium fecerit: secundo, juxta Div. Chrysost. indicari, quod Christus etiam cum taceret, operibus loqueretur et doceret, nunc autem et verbis seu ore aperto: tertio, secundum Aug. I. I. de serm. Domini in monte, indicatur, quod longior forte futurus sit sermo, vel quod nunc aperuerit os suum, qui in lege veteri aperire solebat ora prophetarum: denique, notare videtur modus loquendi, sermonem fore de rebus maximi momenti præmeditatum: vel etiam locuturum esse de contemptu mundi aperte, et clara voce, non timide et obscure.

II. Qui vocantur pauperes spiritu? Resp. primo, qui electione et propter Christum ejusque doctrinam opibus renuntiarunt. Hi enim spiritus, id est, Spiritus s. impulsu, vel spiritu, id est, voluntate; vel spirituali intentione et modo pauperes sunt.

Secundo, qui divites licet sint, spiritu tamen, id est, affectu pauperes sunt. Longe enim aliud est venenum habere; et aliud veneno infectum esse. Pharmacopolæ venenum habent in suis officinis ad usum medicinæ: non tamen venenati sunt. Ita haberi possunt divitiæ in cista vel marsupio sine omni noxa, si modo non gerantur in corde. Tales sunt, qui nec opibus insidiantur anxie nec admodum dolent de earum emissionem: tales sunt, qui suis opibus semper aliud demunt et communicant pauperibus; dum enim compatiuntur pauperibus, quodammodo cum ipsis pauperes fiunt saltem ea, quam dant pecunia, pauperiores: rursum, si isti inserviant pauperibus etiam ipsis pauperiores quodammodo fiunt, quia servi eorum. Hujusmodi pauperes spiritu erant Sanctus Ludovicus rex et Sancta Elisabetha regina: ille dum pauperibus ad mensam serviret, ossa quæ illis supererant, exederet; hospitalia visitans eis se jungeret, qui foedissimis laborabant morbis: hæc dum communiter se pauperibus immisceret, et si quando se peculiari modo recreare vellet, habitum mendicæ indueret suo in gynæceo, dicens: *Ego si pauper essem, ita vellem incidere.* Annon isti pauperes erant spiritu? Denique, si jacturam honorum suorum forti animo ferant. Esau et Jacob veniebant ad parentem potentes benedictionem, ambo pilosis manibus: sed tamen pili Jacob non adhærebant ejus manibus, quemadmodum pili Esau: unde pili Jacob absque ejus dolore poterant avelli una cum chirotheca, non item pili Esau. Pari modo, si quis perdat forte aliquid de bonis suis, jacturam tamen absque dolore et æquo animo ferat,

signum est non adhæsisse bona illa cordis ipsius : secus si impatienter ferat.

Tertio, qui effectu et affectu pauperes sunt, facientes ex necessitate virtutem, quisque sibi in sua paupertate placent. Et cur non placent? Quot enim multi nobiles et potentes hujus mundi solliciti quæsierunt, et maximo gaudio venerunt in monasteriis et peregrinationibus, uti Sanctus Alexius, Sanctus Paulinus, Sanctus Franciscus, Sanctus Ignatius Loiola, etc. hic ad pauperum ædes ultro venit, sine ipsorum labore, aut inquisitione. Habet hæc paupertas duo magna privilegia, quibus plurimum mereri possumus. Primum, quod a Deo optimo et peritissimo nostro medico qui novit quid nobis expediat, immissa sit; plurimum ergo merebimur si velut ingens Dei donum et saluberrimam medicinam eam exosculamur: secundum, quia vera et mera paupertas est carens omni splendore et laude, abundans contemptu, desolatione, abjectione. Religiosorum paupertas suam habet laudem, suspicitur et honorifice sublevatur a sæcularibus: sed non item paupertas illorum, quibus a Deo immissa est; quæ proinde hac ex parte longe major est, quia abjectior et desolator.

III. Cur diversis virtutibus diversa promittuntur præmia cum beatitudinis una sit merces? Resp. merito respondere debere præmium et vere in cælo pulcherrime responsurum. Pauperibus ergo promittitur regnum cælorum, quia congruit, qui hic regna et terrena bona contempserunt propter Christum, elegeruntque vitam pauperem et abjectam, postea in cælo regnent cum Christo. Mitibus promittitur possessio terræ, id est, solidæ beatitudinis possessio, quoniam mites hic frequenter pelluntur suis possessionibus, et cedunt aliis jura sua, ne charitatem scindant et lites causent, ideo promittitur eis possessio terræ, id est, amplissimorum bonorum. Sic, quia Abraham cessit Lotho terram quam vellet, ne jurgium inter eos oriretur, ideo meruit obtinere a Deo terram longe meliorem et latiore. Lugentibus promittitur consolatio; esurientibus et sitientibus saturatio, quia hanc avide desiderarunt; misericordibus, misericordia, et quidem magna pro parva; mundis corde visio Dei quia purus oculus perspicacior est ad videndum, et speculum mundum formas rerum melius suscipit et expressius repræsentat; pacificis promittitur fore eos Dei filios, quia Deo similes, Deus enim Deus pacis est, et quia Dei Filium imitantur, qui pacificavit quæ in terris et quæ in cælis sunt, ad Coloss. I. persecutionem patientibus regnum cælorum, quia pro eo pugnant. Tametsi vero per hæc diversitas mercedis cælestis insinuat, ea

tamen accidentaliter tantum gloriæ est, juxta cuiusque merita. Omnium interim communis merces est regnum cælorum, quia omnes vocantur beati.

IV. Qui vocantur mites, qui lugentes, etc.? Resp. mites esse. Primo, humiles, qui Deo per omnia subjacent et obediunt, nihil contra eum murmurant, seu indignantur: secundo, qui proximis cedunt improbitatibus, nec resistunt, sed vincunt in bono malum: tertio, qui propriæ iræ impetus et cordis perturbationes reprimunt et domant.

Qui lugent? Eos intellige, non qui damna temporalia deplorant: sed primo, eos qui lugent peccata sua et aliorum: secundo, qui exilium hujus vitæ deplorant, et ad patriam anhelant, ideoque omnes mundi jocos, delicias et risus contemnant.

Qui esuriunt et sitiunt justitiam, ii sunt qui terrenis rebus posthabitis quærunt regnum cælorum et justitiam ejus, et per omnia Deo placere cupiunt: secundo, qui eandem esuriunt in aliis hominibus cupiuntque Dei nomen ubique sanctificari.

Misericordes intellige, primo, qui miseriis proximorum compatiuntur ex intimo corde: secundo, eos, qui cum possunt, etiam succurrunt.

Mundo corde intelliguntur, primo, casti: secundo, qui cor suum a vitiis mundum conservant, vel certe sedulo et cito mundare satagunt, itemque mundum a pravis desideriis, malis cogitationibus, fictione et duplicitate gerunt.

Pacifici sunt, primo: *Qui primum in corde suo, deinde et inter fratres dissidentes pacem faciant*, ait S. Hieronymus: secundo, qui animas Deo pacificant et reconciliant procurando earum salutem.

Persecutionem patiuntur, qui omne genus injuriarum, afflictionum, in corpore, anima, bonis, honore, etc. propter Christum vel justitiam æquo animo tolerant.

Præter ista discimus. Primo, Christum verum esse legislatorem contra Calvinum, qui in ea verba ad Gal. IV. *Misit Deus Filium suum: factum sub lege ut eos, qui sub lege erant, redimeret*, exclamat: *O miserabilem inscitiam. O perniciosum errorem prædicantium Christum tamquam novum legislatorem*. Contra hunc enim est hodiernum evangelium in quo Christus docebat, et tradebat legem novam audientibus. Unde sæpius repetit id: *Ego autem dico vobis*: et Conc. Trident. sess. VI. cap. XXXI. decreto de justificatione, ubi dicitur: *Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse, ut redemptorem cui fidant, non*

etiam ut legislatorem, cui obediant, anathema sit. Accedit Isaias, c. II. *Docebit, inquit, nos vias suas, etc.* et rursus: *Dominus legifer noster*. Quod autem apostolus subinde nos asserit in libertatem et eximit a lege, intelligit legem Moysis (quantum ad præcepta cæremonialia et judicialia, imo et moralia, si seclusa fide et gratia fiant) quæ tantum pædagogus fuit ad Christum adducens, eoque præsentate cessavit. Libertatem etiam intelligit non carnis, quæ omnem disciplinam et obedientiam excludit, ut peccatis fræna laxentur: sed libertatem christianam, quæ liberat a jugo Moysis, a servitute peccati, a servili timore et maledicto legis.

Secundo, discimus quantum sit discrimen inter iudicium Dei et mundi, adeoque quam præstet esse pauperem, mitem, lugere, esurire, persecutionem pati, quam esse divitem, ridere, epulari, etc. Mundus enim beatos prædicat divites, et qui ab omni tristitia et persecutione liberi sunt: *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt*, inquit David, Psalm. CXLIII. Christus vero illis væ interminatur: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram: væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis: væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis: væ cum benedixerint vobis omnes homines, etc.* Luc. VI. E contra beatos vocat pauperes, mites, lugentes, esurientes, patientes, quia certam habent spem futuræ beatitudinis: ita ut dicat: *Vestrum est regnum cælorum*, in spe videlicet certa.

Tertio, discimus beatitudinem cælestem, virtutum operibus promerendam esse, siquidem a Domino merces vocatur: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Quod advertens Lutherus omisit particulam *quoniam*, contra communem exemplarium fidem. Jam vero merces a merendo dicitur, et datur tantum promeritis. Similiter ab apostolo in I. ep. ad Cor. vocatur *bravium*, quod cursoribus vincentibus: et *corona*

justitiæ, quæ vincentibus athletis dabatur: sic alibi a Domino vocatur *denarius diurnus*, qui datur operariis. Quæ nomina catholici non sic accipiunt quasi natura debitor cuiquam sit Deus. Sicut enim paterfamilias non erat obnoxius quemquam operariorum in vineam suam mittere, et procolata opera denarium conferre, ubi tamen conduxit et illi laboraverunt, et hi denarium merentur et ille debet: *Quamquam ex pacto tantum*, inquit Gagnæus. Fundatur ergo hoc meritum in Dei promissione, non improprie dicta justitia, quia etiam merita nostra Dei sunt dona: ipse enim dedit ut possemus et faceremus, ipse habet omnium rerum dominium absolutissimum. Unde supposita etiam promissione ejus, posset, absolute loquendo, non dare quod promisit citra omnem injuriam, multo magis quam absolutus Dominus potest servo promissam rem negare vel etiam donatam auferre.

Peculiari vero ratione beatitudo cælestis vocatur *merces*, quia in operibus justorum est labor et defatigatio quædam. Vocatur *bravium*, quia justis cum contentione et æmulatione mutuaque adhortatione pro eo currunt: vocatur *corona*, tum quia circularis seu infinita est; tum, quia caput, id est, intellectum potissimum afficit; tum, quia per certamen et pugnam carnis et spiritus obtineri debet; tum quia est præstantissima: vocatur *denarius diurnus*, tum quia est status omnium bonorum aggregatione perfectus, quemadmodum denarius numerus est perfectus, continens omnes numeros; tum, quia datur post exactum vitæ præsentis laborem.

Felices igitur sancti, qui mercedem, bravium, coronam, denarium suum jam acceperunt eoque gaudent et fruuntur. Nos vero quia pro eo adhuc laboramus, curramus, pugnamus, sic labore præsumus, curramus, pugnemus, et comprehendamus mercedem, bravium, coronam.